

.viii . OMELIA IN NATALE SANCTI IOHANNIS EVANGELISTAE :—
[.i.] Sanctum iohannem adoptiuum domini filium uenerari oportet fratres
karissimi . cui supra pectus eiusdem domini recubanti . reuelata sunt
secreta cęlestia . Qualiter ergo post huius uite conuersatio
nem . de hac luce migrauerit . explicemus . Domicianus
quidem secundam post neronem persecutionem christianorum faciens
nomen christi ab omni imperio suo deleri praecepit . Vnde factum est
ut sanctus iohannes apostolus de efeso expulsus propter seuitiam eius ;
in insulam pathmos deuenit in exilio . In qua insula multa
ei dominus reuelauit secreta caelestia . Et ipse iohannes manu
sua . in ipsa conscripsit apocalypsin . [.ii.] Domicianus autem uno
eodémque anno quo misit sanctum iohannem in exilium . a senatu
/17r/ romano interfectus est . et quoniam deo cura fuit de apostolo suo . ex totius
senatus consultu hoc diffinitum est . ut quicquid domicianus
fieri uoluit deleretur . Hinc factum est sanctum iohannem cum mag
no honore ad efesum remeare . cui uenienti occurrit . Omnis
populus uirorum ac mulierum una uoca dicentium . Benedictus
qui uenit in nomine domini . [.iii.] Cum autem ingrederetur ciuitatem . drusiá
na quę eius semper ammonitionibus obtemperauerat ad sepul
turam efferebatur mortua . Tunc sanctus iohannes lacrimás
se perhibetur . uidens pauperes flentes et parentes ac uiduas
simul cum orfanis clamantes et dicentes . O sanctę dei apostole ;
ecce drusianam efferimus mortuam . quę sanctis tuis monitis
semper obtemperans nos omnes alebat . seruiens deo nocte
ac die in castitate et humilitate . et cotidie desiderabat
reditum tuum uidere dicens . si uideam apostolum dei oculis
meis . antequam moriar . Ecce tu uenisti . ecce uidere
non potuit . [.iiii.] Tunc beatus iohannes iussit statim deponi

feretrum . et coram omnibus disolui corpus eius . et clara uoce
humiliter ait . Dominus meus iesus christus . excitet te drusiana . Surge ;
et pedibus tuis cito reuerte ad domum tuam ; et para nobis
hodie refectionem . Et in hac uoce statim surrexit . et osculans
manus eius et pedes irę cepit . sollicita de iussione apostoli .
ita tamen uidebatur ipsi quia non de morte . sed quasi de som
no excitasset eam . Et tunc factus est clamor omnis populi .
per tres horas dicentis . [.v.] Unus `est` deus pater quem prædicat io
hannes . unus est dominus iesus christus . qui hanc fecit uirtutem . Altera
autem die craton philosophus proposueart huius modi spec
taculum in foro contemptu mundi . Vt duos fratres iuuenes
ditissimos mutidum relinquentes produceret in foro et distracto
/17v/ patrimonio suo gemmas emerent . et singulas quasque earum
confringerent in conspectu omnis populi ad contemptum
mundi . Quod cum facerent pueri . contigit ut illic tran
siret apostolus domini . et conuocans ad se cratonem philoso
phum ait . [.vi.] Stultus est iste mundi contemptus qui homi
num ore laudatur . et diuino iudicio contempnitur .
Sicut enim uana est medicina ex qua non absconditur
morbus . Ita uana est doctrina ex qua non curantur
animarum uitia . Magister enim meus iuuenes quendam
ad uitam æternam peruenire cupientem . His uerbis instrux[it]¹
dicens . si uis perfectus esse uade et uende omnia quę ha
bes . et da pauperibus et ueni sequere me . et habebis thes
auros in caelis et uitam æternam possidebis . [.vii.] Cui craton
dixit . nunc humanę cupiditatis fructus in medio posit
est . sed si uere deus est tuus magister et uult hoc fieri
et pauperibus erogetur pretium harum gemmarum . fac ut
erant prius re integrari . ut quod feci ad famam hominum
tu conuertas ad gloriam eius quem tu predicas . Tunc beatus

¹ The final two letters are lost in the gutter, where the binding is exceptionally tight.

iohannes co`l`ligens fragmenta gemmarum . et ponens in
manus suas² . eleuauit oculos . ad caelum dicens . Domine iesu
christe tui nichil impossibile est . qui multis fractum mun
dum erroribus per lignum tuę crucis infidelibus tuis
restaurasti . qui caeco nato oculos quos natura negaue
rat reddidisti . qui mortuum lazarum et sepultum post
quartum diem ad uitam reuocasti . et omnem morbum
omnem que egritudinem uirtutis tuę uerbo curasti .
[.viii.] Adesto nunc super istos pretiosos lapides . quos isti ignoran
tes fructum aelimosinæ . ad plausum et lętitiam hominum
/18r/ confregerunt . et per sanctas manus angelorum tuorum recupera .
ut pretio earum pauperibus erogato³ faciat quoque restauratio
istos tibi credere . et ad tuum se imperium subicere . Cumque
respondissent qui cum apostolo erant fideles et dixissent
amen . Ita statim solidata sunt fragmenta gemmarum .
ut nec signum aliquod de eo quod fractae fuerant rema
neret . Tunc craton philosophus cum his iuuenibus et uni
uersis discipulis suis . pedibus apostoli aduolutus est . et sta
tim credentes in nomine trinitatis baptizati sunt .
et cito coepit fidem iesu christi publice in medio populi
predicare . et postea infinita turba credentium adhesit
apostolo . prestante eodem domino nostro iesu christo qui cum patre
et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum . amen .

² The scribe started writing *sa*, but converted the *a* to a *u*.

³ erogato] *corr. from* erogata